

d. libello, § 2 et 3. Barbosa, *de Offic. et potest. Episcop.*, d. allegat. 55, n. 13, et *Trident.*, loc. cit., n. 12, et *de Canon.*, n. 4.

(55. Pœnitentiaria vacans, sede episcopali vacante, non potest provideri a capitulo, quamvis collatio præbendarum sit communis Episcopi, et capituli, vel etiam solius capituli; sic decisum fuisse a Sac. Congr. Concilii referunt Garcias d. part. v, cap. 4, num. 145; Aloys. Ricc. d. resolut. 477, num. 4. (56. Imo pœnitentiariæ vacantis, sede episcopali vacante, electio et collatio pertinet ad Papam, etiam seclusa reservatione, et non est reservanda futuro Episcopo; sic decisum fuisse a Sac. Congr. Concil. in una Januensi refert Garcias in addit. ad d. can. 4, num. 150. (57. Capitulum non potest se intromittere in electione pœnitentiarii, licet ad ipsum collatio spectet, quamvis Episcopus sit absens, sed ipse Episcopus absens poterit, ubicunque fuerit, eligere pœnitentiarium, non enim ad id est necessaria præsentia, seu existentia in diœcesi, nam etiam extra illam potest expediri, cum non sit contentiosæ, sed voluntariæ jurisdictionis, prout decisum fuisse in una Burgen. refert Nicol. Garcias in addit. ad d. cap. 4, n. 143. (58. Pœnitentiarii enim electio pertinet solum ad Episcopum, vel eo absente, ad suum vicarium, cui Episcopus in specie delegaverit hanc facultatem. Sic etiam declaravit ead. Sac. Congr. ut refert Garcias loc. mox cit. (59. Quamvis electio pœnitentiarii quandoque faciendâ spectet ad solum Episcopum, vel eo absente, ad suum vicarium ad hoc specialiter delegatum, absque consensu Capituli, collatio tamen præbendæ unitæ officio pœnitentiarii ab illis fieri debet, ad quos antea spectabat. Sic decisum fuisse a Sac. Congr. Conc. referunt Garcias d. p. v, c. 4, n. 238; Gonz. ad reg. 8 Canc., gloss. 9, § 2, num. 84. Aloys. Ricc. d. resolut. 476, n. 2.

(60. Præbenda officio pœnitentiarii unienda debet esse integra et canonicalis. Sacra Congr. Conc., 31 Maii 1596 et in Conimbrien. 31 Martii 1602. (61. Portio enim, quæ sit in Ecclesia, in præbendam pœnitentialem erigi non potest, sed præbenda canonicalis; et si non essent præbendæ, sed fructus omnes in distributionibus quotidianis consistent, tunc distributiones habebuntur pro præbenda. Sic decisum fuisse a Sacra Congr. Concil. refert Garcias d. pag. 5, c. 4, num. 127. (62. Non potest Episcopus primam præbendam vacantem assignare pro pœnitentiario, quamvis in loco videretur magis necessarius, sed prius debet erigi theologalis propter verba Concil. sess. 5, cap. 1 *de Reformat.* (63. Si tamen in aliqua civitate fuerit iudicatum magis expediens, ut prius de pœnitentiario quam de theologo provideatur, habenda est confirmatio a Sede Apostolica, ad omnem difficultatem tollendam. Sacra Congregatio Concil. in civitatis Castellanae, 17 novembr. 1629. (64. Canonicatus pœnitentiarius non potest optari, nec pœnitentiarius potest aliam præbendam optare, quia

ad eam videtur electa industria personæ. Et ubi beneficium requirit certas qualitates, aut examen, si cui indulgetur, ut possit consequi aliam dignitatem, aut beneficium, illud non venit, quod examen, aut qualitates illas requirit, ut est textus optimus in cap. *Licet in tantum 4, de Translat. Episcopi.* Unde a Sacra Congregatione Conc. fuit expresse decisum, die 12 Februarii 1601. « Pœnitentiarii præbendam, etiam postquam est effectum sortita, non subjacere optioni. » Et in una Vercellen. 7 Julii 1601, etiam fuit decisum, quod non solum non potest optari præbenda pœnitentiarii, sed nec titulus, ac ordo illius. (65. Potest tamen pœnitentiaria resignari, sicut alia præbenda, etiam in favorem alterius, dummodo habeat qualitates requisitas. Sic tenent Salazar. de Mendoza in d. libello § 5; Ceval. *Commun. contra commun.*, quæst. 894, num. 489 subdit posse etiam super eam imponi pensionem; Barbosa *de Offic. et potest. Episcoporum*, part. II, allegat. 55, num. 34, et *de Canon.*, cap. 26, num. 23. (66. Pœnitentiarius præbendæ erectio non habet locum in ea, quæ vigore statuti a sequenti Canonico optatur, sed illa præbenda, quam dimiserit Canonicus, qui novissime optat, huic muneri affecta et unita remanet. Sacra Congregatio Conc. in Lunen. Sarzanen., 6 Julii 1592.

(67. Pœnitentiarius, eo ipso quod est institutus, habet a jure et Concilio facultatem audiendi confessiones, et jurisdictionem ad absolvendum a peccatis absque alia ordinarii licentia, et est veluti parochus totius diœcesis; Navarr. cons. 20, *de pœnit. in novis*; Lel. Zech. *de Republ. Eccl. c. 24, de Capitulo et Canon.*, sub num. 17; Salazar. de Mendoza in d. libello § 5; Ugolin. *de Offic. Episc.* c. 33, num. 2 et 3; Aloys. Ricc. d. resolut. 477, num. 5; Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* d. allegat. 55, num. 19, et *de Canonicis*, c. 26, n. 12, et in Concilio Trid. sess. 24, c. 8, num. 21. (68. Pœnitentiario quilibet potest peccata sua confiteri et sic satisfacere præcepto; cap. *Omnis utriusque sexus, de Pœnitent. et remission.* Sic decisum fuisse a S. C. referunt Aloys. Ricc. loc. mox cit.; Garcias d. part. v, c. 4, n. 113; Barbosa d. allegat. 55, num. 20, et in Tridentin. loc. cit. num. 22, et *de Canonicis*, loc. cit. num. 13. (69. Pœnitentiarius institutus pro audiendis confessionibus unius diœcesis, non potest audire in alia, etiam habentium bullam, vel licentiam sui parochi. Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.*, d. allegat. 55, n. 21; Garcias d. part. v, cap. 8, dub. 4, ubi dicit sic decisum fuisse a Sacra Congregatione in casu simili de parochio, scilicet quod in aliena diœcesi sine illius ordinarii approbatione eligi nequeat in confessarium ab habentibus privilegium vigore jubilæi eligendi confessarium approbatum. (70. Pœnitentiarius non potest delegare suam auctoritatem. Sac. Congr. Episcop. et Regul. in Reginen., 2 Octob. 1584. (71. Non potest pœnitentiarius absolvere a casibus, quos Episcopus sibi expresse reservavit, nisi ipsemet Episcopus talem specialem facultatem

ei expresse concesserit. Sic decisum fuisse a Sacra Congregatione referunt Aloys. Ricc. in *Praxi fori Ecclesiast.* decis. 751, in 1 edit. et resolut. 692, num. 2, in 2 edit. et Garcias d. part. 5, cap. 4, num. 115. (72. Nec potest casus reservatos sibi ab Episcopo commissos alteri subdelegare, nisi habuerit expressam ad hoc Episcopi facultatem, quia censetur electa industria personæ, et delegatus, maxime ad nudum ministerium, subdelegare non potest, nisi hoc illi expresse demandetur: cap. ult., § *Cæterum de Offic. deleg.* Ita Joan. Valer. *de Different. inter utrumque forum*, verb. *Jurisdictio different.* 2, n. 3; Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* dict. allegat. 55, num. 24, et *de Canon.* d. c. 28, num. 17. (73. Pœnitentiarius tenetur integras confessiones audire, non autem solos casus reservatos. Sac. Congr. Concil. teste Nicolaq. Garcia d. part. 5, cap. 4, num. 117. (74. Confessiones parochianorum civitatis audire nullo modo recusare potest pœnitentiarius. Sacra Congr. Rit. apud Nicol. Garciam d. part. 5, cap. 4, num. 118. (75. Confessiones audire si renuerit pœnitentiarius, poterit ab Episcopo puniri. Sic decisum fuisse a Sac. Congr. Conc. refert Garcias d. part. 5, cap. 4, num. 119. (76. Imo pœnitentiarius debet assistere et residere, de mane, etiam non vocatus, in sede confessionali ab Episcopo destinata diebus festis solemnioribus, videlicet, tempore jejuniorum Quadragesimæ, Adventus, Quatuor Temporum, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis beatæ Mariæ Virginis, omnium Sanctorum, et Nativitatis Domini, ut habetur decisum in Segobien. a Sacra Congreg. Conc. quam per extensum refert Crispin. *de Visit.* part. 2, § 24, n. 2 et cit. Garcias d. part. 5, cap. 4, n. 122. (77. Non debet tamen pœnitentiarius tenere in manu virgam, seu bachtam sicut in urbe, præcipue in locis ubi hoc non est in usu. Ita decisum in una Abulen., 21 Apr. 1587, referunt Garcias d. part. 5, cap. 4, n. 117; Ugolin. d. cap. 33, num. 6; Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* d. allegat. 55, num. 29. Nec potest cogi ab Episcopo ad interessendum in sua sede pro audiendis confessionibus eo tempore quo non adsunt pœnitentes, qui sua opera uti velint. Sacra Congregatio Episcop. 18 Septemb. 1637.

(78. Pœnitentiarius non potest cogi ad majorem residentiam, quam alii Canonici, qui per tres menses abesse possunt, dummodo tamen non absit tempore, quo frequentius pœnitentes accedunt et diebus festis solemnioribus, veluti tempore jejuniorum Quadragesimæ, Adventus, quatuor Temporum, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis B. M. V., Nativitatis Domini, et omnium Sanctorum. Sac. Congr. Concil. testibus Garcia d. part. 5, cap. 4, num. 122; Ugolino d. cap. 33, num. 5; Salazar. de Mendoza in d. libello § 7, quia in ipsis tenetur de mane residere in sede confessionali, etiam non vocatus, ut patet supra num. 76. (79. Pœnitentiarius pro præsentibus in choro est haben-

das, dum audit confessiones in Ecclesia. Concil. Trident. loc. cit. ibi: « Qui dum confessiones in Ecclesia audiet, interim præsens in choro censeatur; sive in Confessionario, sive extra. » (80. Non tamen pro tempore quo residet in confessionario, nec audit confessiones, aliis in choro divina celebrantibus; nec item si dixerit Missam, aut si privatim officium dixerit, etiam ut opportunius confessiones audiat, censendus est præsens in choro: sic decisum fuisse a Sac. Congr. Concil. referunt Moneta *de Distributionibus quotidianis*, part. II, q. 11, num. 64 et sequent; Ugolin. d. cap. 33, num. 5; Garcias d. part. 5, cap. 4, num. 124 et seq.; Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* d. alleg. 55, num. 30, et *de Canonicis*, d. cap. 26, num. 20, et in Trid. loc. cit. n. 28, et *Apostolicar. Decis. collect.* verb. *Canonicus pœnitentiarius*, num. 5. (81. Pœnitentiarius dum actualiter audit confessiones in Ecclesia non solum censetur præsens in choro ad lucrandas distributiones quotidianas, sed etiam eleemosynas ipsas quæ distribuuntur pro associandis et sepeliendis cadaveribus defunctorum, vel pro supplicationibus et processionibus quæ per urbem aguntur. Sac. Congr. Concil. in Januen., 4 Septembris 1591, ut refert Garcias d. parte 5, cap. 4, num. 124, et sequitur Barbosa d. alleg. 55, num. 31, et *de Canon.*, d. cap. 26, num. 21, et in Trident. loc. cit. num. 29, et *Apostolicar. Decis. loc. cit.* num. 6, et tenent Castropalao in *Opere morali*, tract. 7, disp. 3., punct. § 5, num. 2; Trullench. in *Exposit. Decal.* lib. 1, cap. 8, dub. 12, § 5, num. 1, in fine; Bonacina *de Horis Canonicis* disput. 2, part. 5 punct. 3, § 5, num. 4 et alii contra Monetam. d. part. 11, num. 65. (82. Pœnitentiarius non censendus est pro præsentibus in choro, si extra Ecclesiam Confessiones audiat, etiam infirmorum. Sic Garcias in addit. ad d. part. 5, cap. 4, num. 125, in fine; Barbosa *de Offic. et potest. Episc.*, d. alleg. 55, num. 32, et *de Canonicis*, d. cap. 26, num. 22, et in Trident. loc. cit. num. 30. (83. Canonicus pœnitentiarius non præcedit aliis Canonicis, non obstante contraria consuetudine, quia non est dignitas, sed sedere et incedere debet secundum suam antianitatem. Sac. Congr. Concil. in Senen., 16 April. 1695 et in Murana, 11 April. 1699. (84. Pœnitentiarius approbatus, et in possessionem immissus a delegato apostolico eo quod Vicarium et tribunal ordinarii suspectum haberet, potest audire confessiones absque alia licentia ipsius ordinarii. Sac. Congr. Episcop., 25 Februar. 1607. (85. Pœnitentiarius non potest esse Vicarius Generalis Episcopi, ne suspicionem ingerat, quod in administratione justitiæ utatur scientia confessionis, nisi tantæ apud omnes esset opinionis ut excluderetur hujusmodi suspicio. Sac. Congr. Episcop., 15 Julii 1611. (86. Canonicus pœnitentiarius, quamvis regulariter non sit admittendus in confessarium monialium propter difficultatem satisfaciendi utrique muneri, tamen cum potest utrique muneri satisfacere, Sac. Congr. Conc.

in Januen., 11 Septembris 1666, censuit in hoc casu non esse prohibendum. Pignatell. tom. VII, consult. 13.

(87. Innuimus supra, n. 14. electionem theologi et pœnitentiarii hodie fieri debere per concursum, ex noviss. Const. Bened. XIII. sed ut ab omnibus ea prae oculis habeatur, præstat hic ad litteram adduci.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

(88. Pastoralis officii nostri esse ducimus, assiduo enixoque studio curare ut universa Sacræ Tridentinæ synodi decreta inviolabiliter observentur; sed eorum præ cæteris executionem strenue promovendam urgendamque Nobis esse arbitramur, ex quibus majorem in Ecclesia Dei utilitatem proventuram fore conspicimus, ac eos potissimum, quorum opus in prædicatione et doctrina consistere debet, ut cunctos ædificent, tam fidei scientia, quam actionum disciplina, excitari maxime posse confidimus ad impensius frequentandam tantopere necessariam Sanctarum Scripturarum lectionem, quas qui nescit, ut beatus Hieronymus admonet, nescit Dei virtutem, ejusque sapientiam, nam ignorantia Scripturarum, ignorantia Christi est.

Cum itaque saluberrimo prædicti Conc. Trident. decreto relato in c. 1, sess. 5, de Reform. cautum sit, ut nedum in Ecclesiis cathedralibus, sed in collegiatis etiam oppidorum insignium, in quibus præbenda, aut præstimonium, seu stipendium pro Sacræ Scripturæ lectoribus constitutum non reperitur, præbenda quomodocumque, præterquam ex causa resignationis, primo vacatura, ipso facto ad eum usum perpetuo constituta, ac deputata intelligatur. Et quatenus nulla, vel non sufficiens præbenda foret, locorum ordinarii per assignationem fructuum alicujus simplicis beneficii, debitum tamen ejus supportatis oneribus, vel per contributionem Beneficiorum suarum diœcesum, vel alias prout commodius fieri poterit ita provideant, ut ipsa Sacræ Scripturæ lectio omnino habeatur. Verum ejusmodi provida præfati Concilii dispositio in aliquibus Cathedralibus, sicut non absque gravi animi nostri dolore percipimus huc usque neglecta, debitæque executioni demandata non fuerit. Hinc igitur est quod Nos illius executionem pro Pontificiæ vigilantia debito urgere intendentes motu proprio, ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione sancimus, decernimus et mandamus, ut in cathedralibus quibuscumque Italiæ, insularumque adjacentium, in quibus præbenda theologalis hactenus instituta non fuerit, præbenda primo vacatura, post ejusdem præsentis constitutionis publicationem, sive ad Nos, Sedemque Apostolicam, sive ad ordinarium illius collatio atque provisio pertineat, ipso jure, et absque ulla alia declaratione sit, ac esse censeatur præbenda Theologalis

constituta. Volumus insuper ut tam illa, quam reliquæ omnes aliæ præbendæ theologales hactenus constitutæ, et deputatæ, conferri semper debeant doctori in Sacra Theologia, vel qui infra annum doctoralem lauream in eadem facultate suscipiat; et cæteroquin magis idoneo in formali concursu ab examinatore renuntiato, eo plane modo, quo parochiales Ecclesiæ conferuntur. Hunc porro in finem, quotiescumque ejusmodi præbenda theologalis conferenda erit, per edictum publicum vocentur quicumque concurrere, et examini sese subjicere voluerint coram Episcopo, et quatuor examinatore, etiamsi synodales non sint, ab eodem Episcopo actu eligendis, ac deputandis in theologali tamen facultate licentiatum, et valde peritis, sive sæcularibus, sive regularibus, et illi, qui in concursu ejusmodi probatus, magisque idoneus renunciatus fuerit, præbenda conferatur. Quoties autem præbendæ collatio ad Sanctam Sedem spectabit, Episcopus ad Romanum Pontificem pro tempore existentem acta concursus transmittere teneatur, ut ipse vacantem præbendam illi assignare, atque conferre possit, quem cæteris digniorem, atque magis idoneum in Domino judicaverit.

Quod si Episcopus primo vacaturam præbendam contra formam in præsentem constitutione præscriptam conferre præsumperit, vel etiam in aliis occurrentibus casibus eandem formam observare neglexerit, illius collatio, atque provisio ipso jure, nulla, et irrita, nulliusque prorsus roboris, vel momenti sit, ac esse debeat, ejusdemque præbendæ dispositio statim devolvatur, et pertineat ad Sanctam Sedem, et Romanum Pontificem pro tempore existentem, a quo doctori in Sacra Theologia conferetur.

Cæterum, ut fructus, quem Tridentina Synodus ex præbendæ theologalis institutione perceptum iri speravit, omnino re ipsa, et cum effectu percipiatur, volumus, statuimus, et mandamus tertiam partem proventuum dictæ præbendæ theologalis ab Episcopo distribui, et proportionaliter applicari singulis lectionibus Sacræ Scripturæ, quæ a præbendato, præscriptis diebus, et horis totius anni habendæ erunt, ita ut si præbendatus universas lectiones habuerit, assignatas distributiones integras absque ulla prorsus diminutione consequatur. Si vero in aliqua, vel pluribus lectionibus defecerit, distributiones neglectis lectionibus respondententes amittat, quæ in sacristiæ Ecclesiæ beneficium cedant, ac erogentur. In casu autem gravioris contumaciæ præbendati liceat Episcopo deputare alium theologum sacerdotem sæcularem, vel regularem, qui jugiter supplendo ejusdem præbendati vices, præfatis distributionibus potiat.

Quoniam vero nonnulli Episcopi, sicut accepimus, ut propriæ incuriæ aliquod velamen obtendant, dilata erectionis ejusmodi præbendæ theologalis causam in tenuitatem, ac insufficientiam præbendarum suarum Ecclesiarum rejicere solent: Nos om-

nem decætero prætextum, sive excusationem e medio tollere, ac penitus eliminare volentes, motu, scientia ac potestatis plenitudine similibus decernimus, statuimus atque præcipimus, quod ubi præbenda theologalis, computatis etiam distributionibus quotidianis, ad annum saltem redditum scutorum sexaginta monetæ Romanæ non ascendat, pro summa ad hanc taxam conficiendam deficiente, iidem Episcopi unire possint, et debeant eidem præbendæ aliquod simplex beneficium, cujus supplemento prædicta summa conficiatur, primo vacaturum, in quocumque mense, et qualitercumque et quomodocumque Sedi Apostolicæ affectum, et reservatum: ita tamen ut tali unione illa omnia beneficia, quæ pro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, Papæ familiaribus, nunciis apostolicis, atque prælatis congregationum, quibus iidem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales intersunt, secretariis in alia constitutione ad promovendam seminariorum erectionem novissime per Nos condita peculiariter reservavimus, perpetuo reservata, et excepta sint, ac esse intelligantur, et quidquid secus fieri contingeret, ex nunc prorsus irritum, ac inane, nulliusque roboris, vel momenti esse, ac fore decernimus, et declaramus.

Postremo quæcumque hactenus de præbenda theologali, et Sacræ Scripturæ lectione sancivimus, extendimus etiam, ac ad usum observari volumus, et mandamus (congrua tamen congruis referendo) quoad institutionem Canonici pœnitentiarii in illis cathedralibus, in quibus nondum fuerit institutus ejusque honestam sustentationem, concursum, deputationem, omniaque alia ad illius officium pertinentia, et præter illa, quæ a Nobis superius disposita sunt, ea insuper quæ Tridentina Synodus cap. 8, sess. 24, de Reform. de hujus ministri qualitate, ætate ac exemptione a servitio chori constituit, exacte observari decernimus, præcipimus, et mandamus.

Decernentes etiam præsentem litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, etc.

Non obstantibus, quatenus opus sit, etc. Ut autem præsentem litteram ad omnium notitiam facilius deveniant, etc.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostram, etc.

Dat. Romæ apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto; decimo quarto Kal. Junii, pontificatus Nostri anno primo.

P. M. Card. Prodat.

F. CARD. OLIVERIUS.

Visa de Curia S. C. Archiepiscopus Amasenus.

Loco ✕ Plumbi.

L. Martinettus.

Registrata in secretaria brevium.

(89. Hic nota ad rem quod concurrentes ad præbendam theologalem debent esse doctores in Sac. Theologia, vel saltem intra annum tenentur doctoralem lauream in aliqua universitate approbata studii generalis assequi. Nec sufficit laurea canonica ex responso Sac. Congreg. Nec etiam sufficit lau-

rea canonica recepta ab aliquo privilegium obtinente; sed omnino requiritur obtinuisse in universitate approbata, quod commune est omnibus beneficiis lauream doctoralem exigentibus, ut ex bulla S. Pii V. Bened. XIV. Instit. Eccles. 57, § 4 et seq.

(90. Protonotarius Canonicus non potest in functionibus, et aliis actibus publicis sibi tanquam Canonico competentibus uti habitu protonotarii, sed suo habitu canonicali. Sacra Congreg. Rituum in Asculana, 19 Novemb. 1612. (91. Potest tamen uti habitu pronotarii, in omnibus actibus non competentibus sibi tanquam Canonico. Sac. Congreg. Rit. in Nullius Terræ Piscinæ 19 Novembr. 1611, et in Asculana, 28 Januarii 1612. (92. Protonotarius Canonicus, seu dignitas, si cum habitu protonotarii intersit choro, processionibus et divinis, non lucratur fructus, et distributiones sui Canonici. S. C. R. in Asculana, 16 Martii 1610 et 19 Novemb. 1611, et in Spoletana contra priorem Collegiæ S. Michaelis Terræ Sevanæ, 9 Julii 1695, qui cum parere decreto recusaret, et indultum saltem prædictum habitum deferendi in choro postularet; causa re-proposita 17 Decembr. ejusdem anni 1695, responsum fuit distributiones restituendas esse a die decreti, et indultum non esse concedendum. (93. Imo in habitu protonotarii interveniens choro, distributiones amittit non obstante consensu, et concordia capituli. Cum enim post dictam resolutionem Sacræ Congregationis, Canonici cum supra dicto Priore concordassent, quod posset dicto habitu uti in functionibus ecclesiasticis, solutis tamen annuatim sacristiæ scutis quindecim loco amissionis distributionum, et concordia approbationem ab eadem Congregat. postulassent, sub die 5 Julii 1698, referente clara mem. Card. Petruccio prodiit resolutio: «Non esse locum approbationi concordia.» (94. Dignitates enim, et Canonici ut lucentur distributiones, debent intervenire cum proprio habitu canonicali; Sac. Congregat. Rit. in Melitensi, 7 Augusti 1621. (95. Alias si voluerint uti habitu protonotarii in sua Ecclesia, reputantur tamquam extranei, eisque assignatur locus non inter Canonicos, sed post ipsos Canonicos, et Abbates, et non lucrantur distributiones; Sac. Congreg. Rituum in dicta Asculana, 16 Martii 1610, et in d. Melitensi, 7 Augusti 1621. (96. Possunt tamen dignitates, et Canonici protonotarii in Ecclesia uti subtana violacea, licet reliqui Canonici deferant nigram, dummodo in reliquis gerant habitum similem, et æqualem aliis Canonici. Eadem Sacra Congregatio Rituum in Panormitana, 14 Januarii 1612 et 11 Decemb. 1627. (97. Non possunt vero uti Rochetto sub Cotta dum in choro assistunt horis Canonici. Eadem Sac. Congregatio Rituum in Tricar. 15 Martii 1614. (98. Protonotarius si sit prima dignitas, potest in choro deferre Rochettum cum Mantelletto. Si vero non sit prima dignitas, sedere debet in suo stallo cum suo habitu canonicali; S. R. C., in Clommacen. et Neocastren., 21 Aug. 1601. (99. Protonotarius utens habitu pro-